

**Dissertatio inauguralis medico-practica,, de inflammationibus
erysipelaceis ... / sub praesidio ... Hermann Pauli Juchii ... pro doctoris
gradu ... submittit, autor et respondens, Johannes Fridericus Rilckius ... Die
xxii. Novembris M DCC XXXII.**

Contributors

Juch, Hermann Paul, 1676-1756.
Rilckius, Johann Friedrich.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joh. Christophori Heringii, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cs3yt2pc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

14
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
PRACTICA,

DE
INFLAMMATIONIBVS
ERYSIPELACEIS,

QVAM,
VELIFICANTE NUMINIS SUPREMI GRATIA,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO
DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTI, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JURID. FACULT. ASSESSORE,
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDICO
ET CONSVLE,

AUTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO

LAUDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI SENIORIS,
DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.
CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,
PRO DOCTORIS GRADV

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET
IMMVNITATIBVS RITE ET SOLENNITER
IMPETRANDIS,

PVBLCÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,
AVTOR ET RESPONDENS,
JOHANNES FRIDERICVS RILCKIVS,

Bolckenhayna-Siles.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.
DIE XXII. NOVEMBRIS M DCC XXXII.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

VIRO
SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
LAVRENTIO
BAVDISIO,

DVCATVS LIGNICENSIS SVPERINTENDENT
MERITISSIMO, ECCLESIAE SS. PETRI ET PAVLI PASTOR
VIGILANTISSIMO, CONSISTORII REGII ASSESSORI
ET CONIUNCTARVM SCHOLARVM LIGNI-
CENSIVM PRÆSIDI GRAVISSIMO,

DOMINO PATRONO
ET MÆCENATI SVO

ÆTERNVM SVSPICIENDO,
AD RECOLENDAM BENEFICIORVM INSIGNIVM
ACCEPTORVM MEMORIAM
PERENNE GRATITVDINIS MONVMENTVM
CONSTITVTVRVS,
DISSERTATIONEM HANCCE INAUGVRALEM
EA QVA DECET ANIMI REVERENTIA
DEVOTE

D. D. D.

AVTOR ET RESPONDENS.



PROÆMIVM.



Anguinis per totum corpus diffusam ita dictam massam, in continuo, libero, tranquillo & proportionato motu progressivo seu circulatorio, e corde nempe ad partes progrediente & ex his iterum ad cor redeunte, conservari debere, quamdiu vita & sanitas durant vigentque, Physiologia olim docuit & experientia, optima rerum magistra, confirmavit; Ejusdem vero purpurei laticis ac reliquorum machinæ nostræ corporeæ humorum motum qualemcunque irregularem, ebullitionem orgasticam, congestionem versus certa tantum loca impetuosiores & exinde dependentem sta-

gnationem aut stasim plenariam, multorum, imò plurimorum, morborum esse causam, eamque exinde omnium optime derivari & illustrari posse, ex Pathologia abunde liquet omnesque fere uno ore profitentur rationales Medici. Non lubet jam, pro confirmando hocce asserto, graviores & admodum perniciosos illos viscerum, tam nobiliorum, quam ignobiliorum, abinde provenientes infarctus, obstructions & scirrhus in medium producere, neque etiam ingentis illius rhevmaticorum, spasticorum, inprimis arthriticorum, aliorumque consimilium admodum molestorum affectuum catervæ hunc in finem facienda erit mentio, sed sufficiet nobis *inflammationes* tantum exempli loco adduxisse, quippe quæ primam atque primariam suam originem ordinarie stasi cuidam suspectæ, a prægresso inordinato aliquo humorum motu superstiti, debent, hujusque respectu provido & salutari admodum consilio, a principio nostro vitali suscipiuntur, sed eventu ut plurimum admodum ambiguo, præprimis si in interioribus magis quam exterioribus & sanguiferis magis, quam exsangui-

guibus

guibus partibus occurrant, ob facile supervenientem nimirum Gangrænam aut ipsam quoque putridam seu sphacelofam corruptionem, qualia itidem, aut saltem non nisi gradu ab his discrepantia pericula, quandoque a superficialibus istis extremam externi corporis superficiem, seu cutem, tantum occupantibus, alias erysipelaceis dictis inflammationibus, pertimescenda sunt, maxime si imprudenter vel per commoventia & humores nimium exagitantia remedia irritentur, vel per refrigerantia & adstringentia repellantur, sicque humoribus ad terminos jamjam quasi promotis motus retrogradus cum summo ægrotantium vitæ discrimine inducatur: Tunc enim, si perversa hacce medendi ratione affectus talis, cæteroquin utplurimum mitior, antiquas vias relegere massamque humorum denuo inquinare & novam ipsi labem affricare coactus fuit, communiter tanto fortiora, graviora & periculosiora mala, pectoris nempe oppressiones, cordis angustationes, bronchiales suffocationes, convulsiones, hydropes pectoris, apoplexiæ, epilepsiæ, aliaque fontica perniciofa & non raro lethalia pathemata invitantur

tantur & producuntur. Hinc quoque non immerito operæ pretium fore mihi visum fuit, si loco Thematis inauguralis genuinam harum *inflammationum* originem, indolem atque curandi methodum, Gratioſo Inclyti Medicorum Collegii consensu, pro virium modulo ingeniique imbecillitate explicare & delineare allaborarem: Quod ipsum, ut felici fiat auspicio, in divini Nominis Gloriam proximique ægro-
tantis qualecunque emolumentum, supplex humilisque nunc a Deo T. O. M. contendo & obsecro.

§. I.

Uſitatiffimum illud & Græcis pariter ac Latinis Scriptoribus receptiffimum *Erysipelatis* vocabulum cum obscuræ admodum sit originis, utique requirit, ut priusquam nos ad realem affectus per illud denotati explicationem accingimus paucis quoque unde proprie desumtum & compositum sit, inquiremus & demonſtremus. Quibusdam ergo placet illud ab ἐρύειν vel ἐρύεσθαι, quæ idem sunt, ac εὔειν vel εὔεσθαι, *trahere* vel *trahi*, & adverbio πέλαις *prope*, quod, addito articulo, jura & formam nominis recipit & propinquum denotat, derivare sicque simul indolem ejus vagam adumbrare, quod nimirum perquam facile ad viciniam, seu loca propinqua se trahat & traha-

trahatur eaque propter nimium corruptis vocabulis, propriè vicinitraham aut vicintractam appellandam esse hanc affectionem autimant. Alii cum Fallopio vocabulum hoc à græco ἐρυσίση, i. e. *rubigine in frumentaceis* & πέλας *prope*, deducere amant, quoniam nimirum pars Erysipelate afflicta accederet *prope ad colorem spicæ, quam rubigo deturpavit*. Alii denique ad mentem POLLVCIS *Lib. IV. Onomast.* adjectivum ἐρυσόν, pro quo *rubrum* Latini dicunt, non inepte huc adsciscere eidemque natales hujus nominis adserere solent præprimis quia animadvertunt antiquioribus solennem admodum fuisse vocis ἐρυσος pro ἐρυσος usum, ita, ut hac ratione unice a *rubore*, quo pars læsa sub hoc affectu oculos ferit, desumta videatur hæc denominatio.

§. II.

Quoad *Synonymiam* affectus hic duplex adhuc græcum nomen sortitus est ab HIPPOCRATE, dum *Sect. V. Aphor. 23.* ἐπιφλόγισμα, & alibi πῦρ ἀγριον vocatur. Latini, licet & suum fecerint græcum nomen *Erysipelas*, vel juxta CELSUM *Erysipela*, aliquando tamen etiam diversas alias appellationes huic substituerunt: Quidam simpliciter ignem vocant, procul dubio a sensu acrioris, quem infert, *Caloris*; alii huic adhuc peculiariora conjungunt epitheta, & vel *ignem sylvaticum*, aut quasi Sylvestrem & efferatum, ob caloris ferociam; vel *Ignem Persicum*; vel *sacrum* seu *magnum*, quoniam veteres illud, quod magnum erat, etiam *sacrum* vocare sueverunt; vel denique *Ignem S. Antonii* appellitarunt, quoniam ipsum hunc virum sanctum, tanquam tutelare in incendiis Numen, contemptores sui hac ve-

lutū

luti ferali flamma punire crediderunt, quanquam etiam ab aliis hoc pro *Gangraenæ* aut *Erysipelatis exulcerati* synonymo habeatur. MESVES & AVICENNA ipsi spinæ titulum imposuerunt, ob doloris pungitivi, ad modum punctiōnis spinæ membra ab Erysipelate occupata urgentis, sensum. A PLATERO *Cap. II. de Febr. p. 16.* minus apposite vocatur *Carbunculus*, quod nimirum enata macula referat ruborem flavescentem gemmæ sic appellatæ, cum tamen potius singulari culpam, multumque a nostro affectu diverso tumoris inflammati generi, competat hæc appellatio. Magis congruus autem videtur *Rosæ* titulus, a quamplurimis huic affectui impositus, ob suavem illum, quo incarnatos roseti flores succensa cutis æmulatur, colorem, quod etiam Germani, eundem communissime *die Rose* salutantes adprobare videntur, quemadmodum & illi non prorsus injuste faciunt, qui *febrem ἐρυσιπελατώδην* ipsum nuncupant, a palmario nempe & primario symptomate, quo ut plurimum stipatus incedit hic affectus, nempe febre, pro ratione circumstantiarum & ipsius staseos qualitate, modo graviori, modo leviori existente. Ab his etiam non multum discrepant reliquæ Germanorum denominationes, quando nimirum termino usitatori *das Rothlauff*, item *das wilde Feuer*, *Flug-Feuer*, *St. Antonini Plag* &c. &c. insignire solent peculiare hoc inflammationis genus.

§. III.

Quoniam vero ratione Homonymiæ vocabuli *Erysipelatis* nihil fere habemus, quod peculiari annotatione dignum esset, nisi quod a quibusdam Pathologis

gis

gis in paulo generaliori & specialiori sensu quandoque accipiatur, nempe vel de qualicunque inflammatione superficiali, a quacunque humorum stasi inducta, vel tantum de simili inflammatione ob sanguineam stasim proprie causata, quæ ultima usitatissima est acceptio, quam & hic loci retinere placet; hinc ad realem *inflammationum erysipelacearum* definitionem potius nos accingimus, atque sequentem de illis pro fundamento hujus tractationis ponimus, quod sint *peculiare negotium vitale principii nostri agentis & rationalis, sub quo, illud, mediante auctiori motu humorum congestorio & progressivo stasim quandam sanguineam in superficies extrema cujusdam partis membranaceæ hærentem, sicque tumorem aliqualem in latitudinem æqualem magis diffusum, mediocriter ardentem & dilute roseum inducentem, resolvere & discutere, ac insimul metuendam alias corruptionem fermentativam acrem avertere allaborat.*

§. IV.

Ne autem peculiares hæc inflammationum species cum reliquis nempe phlegmonodeis & apostematoides, forsitan confundamus, ante omnia quam ratione illæ ab his potissimum differant, demonstrandum erit. Conspirant equidem erysipelaceæ inflammationes satis exquisitè cum *phlegmonodeis*, eademque fere signa diagnostica exhibent, possunt tamen etiam facile ab iisdem distingui & quidem I) quoad *essentialia & concomitantia symptomata*: Phlegmone enim, ut verba Celeberr. Dom. Profess. JUNCKERI, Præceptoris mei æternum devenerandi, in *Conspectu Medic. Theoret. Pract. Tab. XX. pag. 161.* mea faciam, est species in-

B

flam.

flammationis, quæ stasin sanguinis intra poros & tenuissima vascula in *latum & profundum* factum, involvit & sæpius insimul a metastasi quadam febrili exoritur, adeoque necessario insimul exquisitiores & graviores motus febriles simul inducit, quam Erysipelas, quod quidem majorem fervorem & ardorem in parte affecta præcipue exhibet, ita ut etiam cuticula exinde quasi exarescat, rarius tamen graviores quandam febrem secundariam comitem habet, nisi forsitan magis diffusa quædam stasis, maxime circa nobiliorem & sensibiliorem partem, illud invitaverit. Proinde etiam color partis affectæ in his inflammationibus magis ad flavedinem seu dilute roseum, in phlegmonodeis vero ad saturatiorem ruborem vergit, ac insuper si pars ista quodammodo comprimatur, non ita facile disparet, uti in illis, nec etiam tam repente augefcit. Sic quoque differunt hæ inflammationes 2) *quoad effectus*, seu *consequentia*, dum *dolor* in erysipelaceis est magis punctorius & lancinatorius, in phlegmonodeis vero magis distensivus; *tumor* in his plerumque satis magnus, in uno loco permanens atque fixus, & carnem cuti subjectam aut ipsam parenchymatos substantiam occupans; in illis vero communiter humilis, serpendo ad vicinam crescens atque extus in cute, vel intus in extrema viscerum membrana hærens, observatur.

§. V.

Ab *apostematode inflammatione* hæc nostra admodum facile distingui potest, quoniam illa quidem pariter in superficie, vel sub ea occurrit, sed arctiori insimul spatio circumscripta est atque partis illius, tam carno-

sæ,

sæ, quam glandulosæ, quam semel occupat, profunditatem magis penetrat, qualequid nunquam in Erysipelate observatur. Sic quoque a *Gangræna* & *Carbunculo* satis exacte differt Erysipelas, gradu nimirum malignitatis & periculi, quippe cujus intuitu ab illis longe exsuperatur, ob graviores nimirum morbos, qui eosdem ordinarie antecedunt, quorumque symptomata pedissequa existunt, siquidem etiam insuper *Gangræna* non solum musculosas sed & tendinosas & nervosas, *Bubones* vero glandulosas partes occupant, ardorem & dolorem intensiorem inferunt, tumoremque duriores cum rubore saturatori exhibent. Ab *Herpete* denique, *Purpura*, *Variolis*, *Morbillis*, *Scarlatina* febre aliisque cum maculis rubicundis prodeuntibus febribus quantum differant hæ inflammationes, jamjam in propatulo est & ulteriori non indiget demonstratione.

§. VI.

Non solum autem ab aliis consimilibus fere affectibus, sed & a se ipso probe distinguendum venit Erysipelas, ob diversas ejusdem species diversamque faciem, quam secundum causarum aliarumque circumstantiarum peculiarem rationem exhibere solet: Generatim enim, ratione causæ materialis, dispescitur in *exquisitum*, quod a stasi pure sanguinea dependet, & *spuriū* seu *œdemadotes*, quod rarius occurrit & majori cum tumore minorive rubore & dolore conspicuum est, originem suam a stasi sanguineo-seroso-mucosa sumit ac potissimum cachecticis & scorbuticis subjectis familiare existit, atque inter vulgus communiter *die weiße Nase* audit. Quoad invadendi modum non inepte di-

viditur in *vagum* & *fixum* nec non *simplex* & *vesiculare*: *vagum* seu obambulans, in parte illa, quam semel occupavit, non diu persistit, sed ab una ad alteram semper progreditur & herpetis more sensim in vicinas regiones serpit, hacque ratione non raro totum corpus percurrere solet, quemadmodum inter alios tale etiam se observasse refert MENZELIUS in *A. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obs. 82.* quod a dextra gena ad sinistram, hinc per frontem ad verticem totumque caput, deinde ad cervicem & scapulam & pedetentim a dextro latere, per dorsum, ad nates & sic porro, non sine summo dolore, per totum pedem dextrum ad talum usque cursum suum direxit ibidemque tandem absolvit. SEBITZIVS, cui bis tantum in Praxi obtigit hic affectus, vocat eundem *volaticam infantum*, quoniam tenerioribus & juuioribus subjectis solennior esse observatur, quam adultis; a WITTICHIO vero & SENNERTO *macularum voloticarum* titulum obtinuit, quos etiam Germani, eundem communiter, das Geflüg, den Flug, das Flug-Feuer, die lauffende Rose &c. appellitantes, imitati sunt: E contra autem Celeb. D. D. RAIMANNO placuit in *Miscellan. Phys. Med. Mathemat. Anno 1727. Meus. April. Class. IV. Art. 4.* hanc singularem Erysipelatis speciem ad *herpetes*, a serpendo ita dictos, referre, quoniam horum inflammatio media quasi est, ratione gradus, inter Erysipelas verum & Phlegmonem simulque tumorem & duriores & majores exhibet, quam proprie ita dictum Erysipelas, adeoque putat, quod vel a forma *herpes miliaris esticomenos*, vel a loco affecto *Herpes cingens* seu zona, vel juxta PLINIUM Zoster, quod scilicet hominem

minem medium ambiat, aut illam præcipue regionem occupet, cui cingulum applicari, quæque propterea ab Anatomicis zona vocari solet, vel denique juxta E T T-MÜLLERI mentem, *Herpes Erysipelatosus* appellari queat. vid. etiam *A. N. C. Dec. I. Ann. 3. obs. 287.* de differentia autem inter hanc & fixam erysipelaceam inflammationem, de qua potissimum hic agere lubet, non opus erit ut ulterius quædam addamus, cum ea ex hætenus traditis phœnomenis abunde jam pateat.

§. VII.

Porro *simplex Erysipelas* illud vocatur quod nudam inflammationem in superficie partis affectæ exhibet absque ulla ulteriori ejusdem deformatione & depravatione; *vesiculare* autem illud dicitur, in quo pustulæ pellucidæ modo minores, modo majores, hinc & inde simul erumpunt, tandemque ruptæ copiosum serum profundunt, & paucorum dierum intervallo crustosæ fiunt ac decidunt. Vulgus hanc speciem vocat *die Blasen-Rose, oder die bläsige Rose*, omniumque maxime eandem formidare solet, quoniam graviora ut plurimum symptomata præ simplicibus erysipelaceis inflammationibus inferre, caput & faciem inprimis occupare aut etiam per alias partes obambulare, simulque cum hæmorrhoidibus molientibus non raro conspirare solet, prout hoc, inter alia, exempla a Celeb. D. D. ERNESTI in *Annal. Med. Phys. Ao. 1722. Mens. Aug. Class. II. Art. 3. §. 3.* & RIEDLINO in *Curat. Med. Cent. V. observ. 65.* recensita confirmant.

§. VIII.

Præterea etiam respectu symptomatum distin-

guendæ veniunt hæ inflammationes in *criticas* & *symptomaticas*, si nimirum febres antecedentes, quibus non raro quoque superveniunt, spectes: Priores vocamus illas, quæ in morbi statu, per certa signa antecedentia prius indicatæ, tempore critico prorumpunt, in sequente brevi post febris solutione modo omnimoda, modo duntaxat aliquali; posteriores autem sunt, quæ statim in morbi principio, prius non indicatæ, extra diem criticum prorumpunt, febre postmodum vel in eodem tenore continuante, vel quodammodo etiam augescente, cum notabili virium roboris imminutione. Ratione partis affectæ quidam etiam distinctionem inter Erysipelas *internum* & *externum* formant, sed minus necessariam magisque impropriam, quoniam hoc ipsum vocabulum in strictiori sensu tantum affectum externum cutaneum inflammatorium denotat, in latiori vero & abusivo quandoque etiam de partibus internis, seu visceribus inflammatis dicitur, adeoque in Praxi vix utilitatis quicquam afferent illæ, ab AETIO *Lib. V. Cap. 89.* ex diversis partibus Erysipelate affectis formatæ variæ febrium ardentium species, dum Lipyriam appellat febrem, quæ fit ex Erypelate in ventriculo, *Typhodem* quæ in hepate & *crymodem*, quæ in pulmonibus occurrit; aut etiam illorum distinctiones, qui inter Erysipelas Uteri, Hepatis, Pulmonum, Lienis &c. & veram inflammationem Uterinam, Peripnevmoniam, Hepatitidem, splenitidem &c. singularem quandam & vix gradualem formant & agnoscunt differentiam, quoniam horum pariter ac aliorum viscerum inflammationes, tam erysipelacæ, quam phlegmonodeæ,

deæ, licet ratione periculi aliqua inter ipsas intercedat differentia, unam tamen eandemque medendi methodum absolute requirunt, hujusque ratione vix unquam exacte a se invicem distingui possunt.

§. IX.

Præmissis nunc iis, quæ ad diversas inflammationum erysipelacearum differentias spectant, circumstantiis, ad earundem historiam ut nos accingamus ordinis ratio postulat. Incipiunt ergo ordinarie cum horripilatione insolita aut plenario etiam horrore, totum non solum corpus, sed & in specie partem & regionem illam, in qua apparituræ sunt, admodum moleste occupante & per integram communiter horam, immo quandoque diutius detinente, cui dein statim succedit calor intensior febrilis, modo levior, modo gravior, pro diversitate magnitudinis ipsius staseos & partis affectæ conditione, siquidem ille minoris semper momenti existit, si ad extremitates, maxime inferiores, vergunt inflammationes istæ, vehementior e contra, si diffusa magis est stasis partesque superiores & præcipue pectus, collum & caput, occupat, ubi etiam insimul reliqua symptomata tanto magis exacerbantur, concurrentibus insuper cephalalgiiis & non raro deliriis. Durante hoc æstu persentiscunt etiam subjecta afflicta statim dolorem aliquem congestorium & quasi pressorium in eadem parte, quem tumor æqualis latius plerumque diffusus excipit, qui brevi temporis intervallo tanta sumit incrementa, ut cutis per totum ejus ambitum nitefcatur, cum superveniente dolore pungitivo instar acicularum, & leviter ardente, satis tamen adhuc tole-

tolerabili, si in ordinario seu mitiori gradu constitutæ sunt hæ inflammationes.

§. X.

Interea apparet etiam successive in parte & regione ita affecta color rubicundus dilutior, seu roseus, totum tumorem expansum occupans & adhuc nitidiorem reddens, non tamen admodum arcte ipsi inhærens, siquidem digitorum qualicunque pressioni statim cedit cutemque albicantem relinquit, remotis autem digitis facile quoque redit, quoniam congesti & coacervati ibidem humores in plenariam & perfectam stasin nondum sunt deducti, sed mobiliiores & quodammodo fluidi adhuc existunt, adeoque facili negotio intra fibrarum musculosarum interstitia reprimi & ad tempus ibidem detineri possunt. Proinde etiam tumor ipse non tam alte elevatur, nec adeo durus & intense rubicundus redditur, uti in aliis gravioribus inflammationum speciebus, ob minorem nempe humorum congestorum & stagnantium quantitatem leviolem affluentis & ad facilitandam ejus resolutionem transeundis sanguinis impetum & paulo majorem adhuc coacervati humoris mobilitatem & expansionem, cum e contra in phlegmonodea & apostematodea inflammatione perfecta stasis, adeoque crassior & angustioribus limitibus inclusus humor præsto sit, qui duritiem, ruborem & magnitudinem tumoris necessario grandiolem reddere debet.

§. XI.

Solet autem hic tumor ordinarie ad minimum per tres quatuorve dies ita persistere, & tunc si legitime tractatur, ob subsequentem stagnantium humorum resolutionem

lutionem & discussionem, sponte decrefcit, colore flavefcit tandemque penitus & cum euphoria fubjectorum evanefcit, quippe faluberrimus omnium inflammationum eft eventus; quodfi vero incongrua arte & per intempeftive adhibita emollientia, pingua & unguinofa forfitan ad maturationem difponatur, tunc quidem veram & laudabilem fuppurationem haud fubit, in corruptionem vero ferofo-falfam tanto certius tranfit, quæ dein non folum admodum refractaria & rebellis exiftit, fed & facillime ferpiginoforum ulcerum indolem affumit & in partes adjacentes fefe diffundit, atque tunc plenariam confolidationem ægerrime admittit. Quod vero infuper quoque hæ inflammationes quandoque veficulas, modo minores & copiofiores, modo majores & rariores fimul exhibeant, quandoque etiam hinc & inde evagentur & per reliquas partes fucceffive obambulent, fuperius circa differentias jam indicavimus, & propterea heic loci merito omittimus.

§. XII.

Ad ætiologiam horum fymptomatum antequam nunc progrediamur, paucis etiam fubjecta inflammationibus hifce potiffimum expofita, examinanda & describenda erunt. In genere igitur præcipue omnes plethorici, ob abundantem, quam gerunt, fanguinis quantitatem ejusque propterea faciliorem ad ftagnationes hinc & inde fubeundas proclivitatem, his aliisve inflammationibus frequentius obnoxii deprehenduntur; in fpecie vero fanguinei, habitu laxiori, porofiori & fucculentiori præditi, in quem fub qualicunque commotione fanguis non folum copiofius irruere ac intimius penetrare, fed & facilius ibidem ftagnare, ob lymphæ autem tenerioris commixtionem non femper ita exquisitas, graves & fervidas inflammationes excitare poteft, quin potius pro levioribus & fuperficialibus hifce eryfipelaceis formandis magis quadrat: Specialiffime tandem illi, qui corporis neceffarias commotiones debitumque & conveniens regimen negligunt, animo vero tanto fenfibiliores ejusque crebrioribus & vehementiori-

C

bus

bus pathematibus, humorum motum eximie turbantibus & alterantibus suscipiendis tanto aptiores existunt. Quod autem *speciale*, seu ita dictum *subjectum invasionis* harum inflammationum attinet, illud utique tota externa corporis peripheria, sive ipsa cutis constituit, utpote ob sui ignobilitatem, debilitatem, raritatem & laxitatem, vasorumque capillarium copiosum transitum, universali quasi totius corporis emunctorium, in quod alias natura ordinarie maximam impuritatem partem deponere & exinde eliminare allaborat. Inter ipsas autem externas superficiei hujus partes & regiones quædam frequentius affliguntur ab his inflammationibus, videlicet artus, tam inferiores, quam superiores, qui, utpote a nobilioribus visceribus magis remoti pauloque robustiori structura præditi, facilius tales decubitus stagnatorios suscipere atque perferre valent; quædam vero rarius, ex provida naturæ directione, ob majoris periculi metum, texturæ singularem conditionem & subjacentium partium nobilitatem infestantur, nempe caput & inprimis genæ, faciles alias ruboris susceptrices, nares, collum, mamma, genitalia, &c. ex quibus si quoque forsitan aliqua paulo frequentius his inflammationibus exponatur, erit illud certe vel naturæ erranti, vel partis imbecillitati, vel consuetudini, vel concitatiore etiam humorum affluxui imputandum.

§. XIII.

Tradita sic historica erysipelacearum inflammationum descriptione, nunc utique ordinis ratio postulat, ut pro ingenii viribus in illas quoque causas inquiramus, quibus natales suos illæ ordinarie debent, ubi pro *causa immediata & proxima* unice reputamus diffusiores, latiores & superficialem quandam stasim sanguinis tenuioris, cum subtili lymphæ & sero acriori paulo magis remixti, & salutari consilio, mediantibus congestoriis & translatoriiis motibus, a natura versus corporis peripheriam translati, ut, obtenta prius ulteriori sui resolutione & abstersione, tanto facilius per commune & universale hoc emunctorium eliminari &

& removeri queat. *Causam vero mediatam* propinquiorem sistit repentina & activa portiois istius inquinatæ versus externas corporis partes suscepta congestio, eaque non tumultuaria, sed satis proportionata atque salutaris, cum nempe in finem instituta, ne circa nobiliora viscera diutius forsitan obharens, in actualem coagulationem & corruptionem fonticam atque periculosam ibidem delabatur, pro qua dein etiam in extrema corporis superficie avertenda, principium vitale laboriosa intentione & conamine inflammatoriam commotionem excitat, sanguinem nempe paulo copiosius & impetuosius versus hanc regionem impellendo, ut sub vegetiori & celeriori ejusdem transitu (unde ordinarie tumor, rubor & æstus auctior oriuntur) successive stagnantis humoris portiones quædam abstergantur & divellantur sicque discussorius magis, quam suppuratorius effectus obtineatur, quippe qui ultimus ordinarie magis noxius atque perversus existit, quoniam ipsa illa stasis magis lymphatica & serosa, quam mere sanguinea est, adeoque dum tota hæc lymphæ quantitas tempestive, prout opus est haud præparari & coerceri potest, sed inordinate suppuratur & ob principiorum pinguium & oleosorum abundantiam ad corruptionem fermentativam & serpiginosam magis vergit, necessario exinde mali moris ulcera, latius evagantia admodum rebellia & consolidationem non nisi irregularem admittentia, emergunt & cum summa afflictorum subjectorum molestia atque ac damno introducuntur.

§. XIV.

Causarum denique mediarum remotiorum seu occasionalium, nomine utique nobis veniunt omnia illa, quæ lympham & sanguinem ad ejusmodi insolitam spissescentiam & stagnationem disponere horumque humorum decubitus & translationem versus exteriores corporis partes facilitare & invitare possunt, quorsum referimus ex *naturalium rerum classe* *Temperamentum Sanguineum* &, qui cum hoc ordinarie sociatus est, *habitus corporis phthoricum*,

spongiosum & carnosum, qui ordinarie admodum succulentus est, hancque ob causam & promovendis & fovendis qualibuscunque humorum stagnationibus tanto magis favet. Sic quoque huc pertinet *hereditaria dispositio* multum pariter ad crebriorem harum inflammationum, certis sapissime familiis maxime solennium & quasi propriarum, provocationem & excitationem faciens, quatenus nimirum, juxta *Harvei* mentem, facillime à parentibus erysipelate ante hac sæpius vexatis, cum semine vel sanguine materno, vitiosæ ejusmodi dispositionis ideo foetui imprimitur, hæcque dein cum tempore suscitatur, in actum atque ob levissimam sæpe causam tandem in consuetudinem deducitur. Ratione *ætatis* equidem nullam fere, præter senilem, hic excipere possumus, cum in omnibus reliquis indiscretim occurrere observentur hæ inflammationes, infantili tamen, puerili & juvenili, propter plethoram & frequentiores orgasticas ejus commotiones crebrioresque in regimine occurrentes errores, aliquam concedimus prærogativam, non exclusâ consistente virili ætate, quæ, licet rarius patiatur has inflammationes, tanto tamen periculosius ab iisdem infestatur. Similiter comparatum est cum *Sexu*, nullam pariter exceptionem admittente, nisi quod sæmellis junioribus, succulentis & frequentioribus menstrui fluxus ataxiis expositis utique paulo solenniores existant hæ inflammationes præ maribus non semper usque adeo plethoricis.

§. XV.

Ex *non naturalibus rebus* suum pariter huc contribuit symbolum *Aer*, tam nimium calidus & æstuosus, quam frigidus, quatenus nempe ille, corpora diutius ambiens, peripheriam eorundem nimium quantum relaxat, copiosorem humorum affluxum eo provocat & lymphaticos succos magis inspissat; hic vero ipsorum superficiem constringit humoresque ibidem stabulantes ad stagnationem graviolem disponit: Hinc quoque per experientiam deprehendimus, quod in sensibilibus subjectis quandoque

que etiam diuturna tantum commoratio sub ardore solis, aut gravior ignis æstus in foco culinario, ad provocandas hæc inflammationes occasionem subministrant. *Alimenta* quoque nimium aromatizata, acrida, sicca, salsa, oleosa & pingua, in nimia copia assumpta, nec non *potulenta* generosiora vinosa & spirituosæ, vel ipsa etiam calida decocta, frequentius & copiosius ingurgitata, sanguinem orgastice commovendo & exagitando multum huc faciunt. *Somnus* longior humores augendo & inspissando, *vigilia* vero nimium protractæ, serum absorbendo & sanguinis massam inæqualiter commovendo, facilem itidem his inflammationibus occasionem præbent, quod & de *motu* nimio & *quiete* immodica certissime expectare licet. *Animi pathemata*, præprimis vero ira & terror, quatenus vel repentinas humorum expansiones, vel eorundem graviores restrictiones & retropressiones inducunt, omnium maxime introducendis hisce inflammationibus favent, prout hoc innumera exempla illorum qui ex levissima sæpe animi commotione erysipelate infestantur, abunde comprobant. Quid tandem *excretorum* & *retentorum* vitia, si nimirum consuetæ alvinæ, transpiratoriæ, inprimis autem hæmorrhagicæ excretiones retardantur, aut penitus sufflaminantur, ad producendas hæc inflammationes conferre valeant, cum per quotidianam abunde jam liqueat experientiam ob chartæ & temporis angustiam fusius jam percellere & demonstrare haud valeo, cuilibet autem sufficienter jam cognitum esse certissime mihi persuadeo.

§. XVI.

Inter *præternaturales res* primarium utique locum sibi vendicant febres, maxime continuæ, harumque vel per adstringentia, vel volatilia & nimium commoventia factæ incongruæ turbationes, quibus provida natura non raro adformandas tales metastases retentæ materiæ febrilis cogitur. Dein huc referendi etiam sunt illi affectus, qui orgasticam sanguinis effervescentiam facile concitant, videlicet

partus difficilis, sudoris repentinæ retropulsiones, aut nimia diaphoreses, &c. item pruriginosæ scalptiones, quibus major humorum affluxus versus peripheriam corporis invitatur, & stagnationi successuræ eorundem facilior via panditur. Non omittendæ sunt inconsultæ retropulsiones excretionum subcutanearum, scabiei inprimis, item dolorum spastico-arthriticorum tractationes per refrigerantia, nec non graviores musculosarum partium vulnerationes aut contusiones, sub quibus omnibus facile stagnationes aut stases humorum, utpote primaria inflammationum erysipelacearum fundamenta, in extrema corporis superficie inducuntur & excitantur.

§. XVII.

Ratione *Prognoseos* de inflammationibus hisce notandum est, quod, licet rarius lethales evadant, tamen si altiores semel in cutis glandulis miliaribus radices egerint, satis rebelles existant & semel licet iterumque profligatæ tamen usque recurrant facileque in consuetudinem degenerent atque tunc levissimis quoque ex causis frequentissime repullulent. Si rite tractantur ordinarie breviter terminantur, intra tres nimirum vel ad summum quatuor dies; quando vero ultra quartum diem, absque cessatione tumoris, duritici ardoris & doloris punctorii, continuant, imo magis inolescunt, tunc plerumque maxime necessariam & utilissimam sui discussionem non solum respuunt, sed & certissime in ulcerationem fermentativam, acrem & serpiginosam, admodum rebellem & fonticam, degenerant, quod etiam facillime evenit, si emollientibus, relaxantibus, unguinosis & humidis inconvenienter tractantur. Si ulceribus, vulneribus, fracturis aut ossium denudationibus superveniunt, periculosiores semper existunt, quam si in partibus sanis exoriuntur, sic quoque peiores semper sunt, si in capite, collo, pectore, inguinibus, genitalibus &c. &c. occurrunt, & si febrem exquisitam complicatam habent, quoniam gravior tunc ordinarie solet esse inflammatio. Omnium pessime semper succedunt, si per externa refrigerantia

gerantia & adstringentia ad interiora retropelluntur, quoniam plerumque Gangranam & proxime subsequentem sphacelum in visceribus post se trahunt mortemque certissimam hac ratione inferunt; confer. HIPPOCRATIS *Aphorif. 25. Sect. VI.* E contra optime & salutariter terminantur, si sub auctiori transpiratione peripherica stases istae discutiuntur, id quod certissime hariolari licet, quando vel pruritus vel formicarum sensus supervenit atque cuticula in squamas quasi fatiscit, colorque & calor in ordinarium & consuetum sensum mutantur.

§. XVIII.

Consideratis ergo nunc iis, quae ad inflammationum erysipelacearum cognitionem theoreticam spectant, inoffenso pede ad tradendam ipsarum medendi methodum, quae ipsius rei caput est, nos accingimus, eamque tribus hisce indicationibus potissimum superstruendam esse censemus I) *Ut nimius humorum affluxus, statum huncce inflammatorium communiter pejorem reddens, modeste intercipiatur.* II) *Stases discussio & resolutio debite promoveatur &* III) *Ulceratio quaecunque ex ratione inopinato superveniens debite mundificetur & consolidetur.*

§. XIX.

Prima indicatio equidem non in omnibus ejusmodi inflammationibus indiscretim necessaria est, sed in iis duntaxat, quae vel in primo sui initio statim impetuosiores sunt, vel in subjectis nimium plethoricis, sanguineis, lautiori diatae & V. Snibus antehac adsuets, otiosis, & ordinariorum haemorrhagiarum suppressione, vel saltem immutatione laborantibus, occurrunt: Tunc enim optime & commodissime hic scopus impetratur per V. Snes, vel quandoque, in adsuets nimirum & succulentioribus, per scarificationes in partibus oppositis & remotioribus potissimum celebrandas, hac tamen sub cautela, ut admodum tempestive & in primo statim principio instituantur, antequam febriles qualescunque motus persentiscuntur, alias plerumque plus obstant quam prosunt. Quodsi vero praedicta cir-

cum-

cumstantiæ nullam harum ventilationum admittant, tunc ad minimum frictiones modestæ partium oppositarum nec non interne temperantia, nitrosa & acidulata qualiacunque in usum trahenda erunt, sub quarum sedula & convenienti continuatione itidem aliqualis humorum revulsio obtineri, & gravius harum inflammationum augmentum præcaveri potest, imprimis si alvus simul debito modo aperta fervetur.

§. XX.

Altera indicatio, in qua potissimum totius rei cardo vertitur, securissime impetratur per propinata interna blanda diapnoica alexipharmaca, resolventia & salina digestiva, videlicet in forma pulverum $\frac{1}{2}$ diaphoret. Bezoard. min. C. C. S. Δ e ppt. unicorn. fossil. Ocul. Σ . cum acetosif. citr. ppt. Mair. perl. ppt. Lap. bezoard. orient. & occident. Lap. de Goa, Pulveres bezoardicos Sennerti, Wedelii, Anglicanum, Succin. alb. ppt. Arc. duplic. \bigcirc um depurat. & $\frac{1}{2}$ iatum, ¶ um \bigcirc lat. amar. ¶ nativ. & $\frac{1}{2}$ nii &c. quales pulveres ad ¶ pro dosi, pomeridianis & vespertinis horis bis vel ter exhiberi, aut cum ∇ is diapnoicis, nempe C. B. Scord. Flor. Samb. Galeg. Scabios. &c. atque similibus syrupis remisceri atque iisdem temporibus sub Potionum forma propinari possunt. In Essentiis autem optime conducunt Essent. Alexipharmaca Stahl. aut in serosioribus Ess. Pimpinell. alb. Succin. Imperat. Angelic. TRa $\frac{1}{2}$ nii, ¶ ri, TRa bezoard. Wed. & Michael. quæ parcioribus quidem, sed repetitis dosibus, ad gtt. XXV. vel XXX. horis antemeridianis bis vel ter ordinanda sunt. Quo vero tanto facilius salutaris hic scopus discussionis obtineatur, insimul quoque cum internis hisce socianda & conjungenda sunt externa, videlicet sacculi ex Rad. Ir, Flor. Levist. Liquir. Flor. Samb. Chamom. Rom. Farin. Fab. secalin. hordei, lupinorum, Ceruss. Bolo armen. & Camphora, tepide in forma sicca applicandi, aut etiam ¶ ini Camphoratus & crocatus immodica quantitate lintheaminibus instillari, sicque parti affectæ interdum applicari potest, cavendo tantum, ne vel diutius, vel copiosius

pius hic adhibeatur atque hac ratione inflammationem augeat vel ipsam etiam stasin pertinaciorem reddat magisque inspisset.

§. XXI.

Quodsi vero denique contingat, ut præter omnem spem & opinionem, quacunque de causa inflammatio talis erysipelacea in ulcerationem transeat, tunc ut *tertia indicationi* satisfiat, ante omnia inquinamentum ulcerosum abstergatur per applicationem ☉ Philosophor. dein secessio hujus corruptelæ adjuvetur parsque affecta mundificetur mediante ☉ eo Ovor. vel ceræ, Liquamine Myrrh. aut egregia & efficacissima illa Essentia balsamica Illustr. Stahlii, ad minimum bis de die applicanda, (conjungendo simul moderata camphorata & discutientia, in ambitu sedulo imponenda, nec non interne propinanda Essentias antiscorbuticas & sanguinem mundificantes, in primis Essent. Trifol. fibr. Fumar. Centuar. min. Pimpin. alb. Succin. Lignor. atque Tincturas alcalinas, interpositis pulveribus absorbentibus & Pilulis balsamicis laxantibus, sub quorum regulari & continuato usu, subjuncta simul convenienti diætâ, tandem quoque felicem & plenariam talium refractariorum ulcerum consolidationem sperare licet.

T A N T V M.

S. D. G.



JAM FRIDERICE Tibi vestis sic fulget honoris,
Quâ Te, pro meritis, induit ars Medica.
Gratulor hos, Fautor, toto Tibi pectore honores,
Annuat his captis magnus Jova Tuis.

Hiscæ paucis gratulatur

D. LAVR. THEOPHIL. LVTHER,
Chym. Prof. Publ. Consul Senior, n. n. Phys. adj.

CUM TIBI pro meritis multoque labore subactò,
Hoc, studii pretium tradit Hygea, die,
Apprecor ut felix longeque fruaris honore,
Qui TIBI splendori sit, decus atque TVIS,
In Praxique feras multum solaminis ægris,
Sæpius ut crescat gloria lausque TIBI.

Ita

*Nobilissimi Domini Doctorandi meritissimis
honoribus applaudit, prospera quævis simul
ominaturus,*

D. ANDREAS ELIAS Büchner,
Institut. Med. Prof. Publ. Facult. Med. Assessor
Extraord. & S. R. I. Academ. Nat. Curios.
Adjunctus.

Hic mea musa Tibi latans, doctissime RILCKE,
In altum sistens officiosa venit.
Gratulor atque Tibi, quum sis coronatus honore,
Crescat & auge scat quolibet ille die:
Vive diu felix, Patriæ splendorque decusque
Ægris & multis sis simul auxilio.

*His Pranobilissimo Domino Doctorando, Fautori
ac Amico suo suavissimo, prospera quævis
adprecari ac se simul perpetuæ Ipsius be-
nevolentie ac ulteriori amicitie optime
commendare voluit,*

ABRAHAM JOHN, Siles. M. St.